



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CLXIII. Der Bischof Friedrich bestätigt die Schenkung einer Rente aus dem Dorfe Knobloch an die Petri-Capelle, am 8. Dez. 1314.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

propter oblivionem, que mater est erroris, evanescant cum tempore, ipsas expedit scripturarum memoriis perhennari. Animadvertentes itaque mente devotionis et considerantes quam pium sit et decorum templa dei depressa erigere et ea pro posse in statum pristinum reformare, ad reformandam capellam antiquam, sitam juxta majorem ecclesiam Brandenburgensem in honore sancti Petri, principis apostolorum, quondam edificatam, quam in conspectu nostro totiusque populi in contumeliam dei vidimus adeo dirutam et omnino desolatam, quod nullo Christianorum seu fidelium frequentaretur accessu nec officia ibidem divina agerentur, pudor et dolor jam pluribus defluxis temporibus nos crebrius excitabant; quapropter cum spiritualia absque temporalibus subsistere nequeant, ut minister talis capelle commodius se valeat tenere quodque ibi officia divina jugiter habeantur, redditus novem talentorum denariorum monete Brandenburgensis, quorum habere dinoscimur tria in aquis piscationum juxta oppidum Templin et sex talenta in aquis piscationum juxta opidum Pritzerwe, ad initium hujus reformationis ministerio dispensationis nobis a deo commisso de consensu ecclesie capituli, prout ejusdem capituli sigillum hic approbat, in dotem et pro dote dicte capelle tradimus, donamus et assignamus cum ea proprietate ac libertate et cum omni jure, sicut nos et reverendi patres Brandenburgenses episcopi predecessores nostri, possedimus libere perpetuis temporibus, possidenda, mittentes cum hoc dominum Johannem dictum de Mylow, nunc rectorem prefate capelle, et successores suos nomine ejusdem capelle in possessionem predictorum novem talentorum tenore presentium literarum. Testes hujus rei sunt honorabilis viri et domini: Johannes prepositus, Henricus prior, Henricus de Gardeleghe, Petrus celerarius, Johannes nove civitatis et Wolterus veteris civitatis plebani, canonici Brandenburgenses nec non honesti nostre curie milites scilicet Bruno de Eysleve, Henricus dictus Wopak, Thidericus de Waterlinghe ac plures alii fide digni ad hoc rogati specialiter et vocati. Et ut predicta inconvulsa et irrefragabiliter perpetuo permaneant, prefens privilegium predictae capelle concedimus sigillo nostro una cum sigillo ecclesie dicti capituli nostri sigillatum. Nosque Johannes, dei gratia (prepositus) totumque capitulum ecclesie Brandenburgensis sigillum ecclesie nostre in signum nostri omnium consensus ad predicta una cum sigillo reverendi patris, nostri domini Frederici, episcopi nostre ecclesie, duximus presentibus concorditer apponendum. Datum Brandenburg anno ab incarnatione domini M^o. CCC^o. XIII. III. Kal. Septembris.

Nach dem Originale.

CLXIII. Der Bischof Friedrich bestätigt die Schenkung einer Rente aus dem Dorfe Knobloch an die Petri-Capelle, am 8. Dez. 1314.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, etc. Cum vita hominum brevis sit et tempus labile, solent, ut expedit, actiones durature, que fiunt ab hominibus in tempore, ne propter oblivionem, que mater est erroris, simul dilabantur et evanescant cum tempore, scripturarum memoriis perhennari. Ad notitiam igitur omnium, quorum nosse interest ac intererit in futurum, cupimus devenire, quod honorabilis dominus Johannes, dictus Gruelhut, Magdeburgensis ecclesie canonicus, pium et devotum circa capellam antiquam beati Petri, principis apostolorum, sitam juxta cathedralem ecclesiam Brandenburgensem, gestans affectum ad reformationem ejusdem capelle, quam vidit sicut et nos vidimus, adeo dirutam quondam

et desolatam, quod nullo frequentaretur fidelium accessu nec divina officia ibidem unquam agerentur, devotius cogitavit, sed attendens, quod absque temporalibus spiritualia subsistere nequeant, in remedium anime sue ac animarum patris sui Theodorici militis et Facye, matris sue, omniumque progenitorum et heredum suorum, quorum rectores hujusmodi capelle ecclesiasticis suffragiis memoriam habere teneantur, et ut anniversarius reverendi felicitis recordationis domini Volradi predecessoris olim Brandenburgensis episcopi cum vigiliis et missa in choro per canonicos ecclesie Brandenburgensis ex pittantia huiusdem canonicis de infra scriptis facienda singulis annis perpetuo solemniter peragatur, quatuor choros filiginis de bonis suis Clebelock, liberam solus habens rerum suarum administrationem, in dotem et pro dote, etiam consentiente fratre suo Burchardo milite, dicto Gruelhut, cum duobus filiis suis, Johanne scilicet et Alberto coram nobiscum, sicut a nobis et ab ecclesia nostra tenuit, donavit, tradidit et assignavit et resignavit ad utum et commodum dicte capelle ac rectorum ejus libere perpetuis temporibus possidendos. Cujus piis factis et votis nos ob reverentiam dei et beati Petri, apostoli ejus, annuentes proprietatem predictorum quatuor chororum, de mero et unanimi nostri capituli, prout ejusdem capituli sigillum hic approbat, consensu, cum omni libertate et jure, si quod nobis et nostris successoribus occasione ipsorum chororum competere vel competere posset in futurum, ipsi capelle donamus, tradimus et assignamus perpetuo possidendam, mittentes cum hoc dominum Johannem de Mylow, canonicum ecclesie Brandenburgensis, nunc rectorem prefate capelle ac suos successores nomine ejusdem capelle in possessionem dictorum chororum ac proprietatis, libertatis et omnis juris, ut premittitur, tenore presentium literarum. Testes hujus rei sunt: dominus Johannes prepositus, Hinricus prior, Hinricus de Gardelege, Petrus Cellerarius, Wolterus veteris civitatis, Johannes nove civitatis plebani, nec non honesti nostre curie milites, scilicet Bruno de Eifleve, Hinricus Wopak, Thidericus de Wederlinge ac plures alii fide digni. Et ut predicta inconvulsa etc. Datum Brandenburg, anno ab incarnatione domini M. CCC. XIII. VI. Non. Decembris.

Nach einer Copie im alten Copialbuche.

CLXIV. Markgraf Johann verleiht der Gölde der Elenden Eigenthum und Steuerfreiheit von einer Getreide-Rente im Dorfe Egin, am 10. März (?) 1315.

In nomine domini amen. Nos Johannes, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, presentibus publice profiteur, quod ad laudem dei omnipotentis ejusque sancte genitricis et virginis Marie et omnium sanctorum, ad salutem quoque animarum, nostre videlicet et dilecte matris nostre ac patris nostri pie recordationis, domini Hermanni, quondam Brandenburgensis Marchionis, et aliorum predecessorum ac successorum nostrorum et omnium fidelium defunctorum fidelibus nostris Burgensibus in civitate nostra Brandenburg, qui dicuntur et sunt fratres kalendarum exilii, proprietatem dedimus et damus presentibus trium chororum filiginis, quos habent in redditibus in villa Etzin, minus quatuor modiis, cum quibus redditibus et aliis elemosinis peregrinos fovent et ipsis mortuis corpora tumulant, pia caritatis opera exercentes. Mandamus igitur et volumus, ut nullus advocatorum nostrorum vel officiarum de dictis tribus choris minus quatuor modiis aliquam precariam exigat aut servitium privatum vel commune, sed volumus eosdem fratres Kalendarum exilii in eisdem bonis